



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrvm SS. Zenobii Et Zenobiæ sororis eius: Ex eo quod est apud  
Metaphrasten. Paßi sunt anno Christi 285. Caij Pap. 2. Dioclet. Imp. 2:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

deinceps sacramento militare non posse, nisi Iesu Christo filio Dei Patris omnipotentis. Fortunæus Præses, Tuam, inquit, temeritatem istam dissimulare nequeo, ideoque ad dominum meum Aurelianum Agricolaum transmitteris.

Igitur die tertia Kalendarum Nouembrium Agricola præfecto prætorij oblatum est: & ex officio recitatum: Miles hic, reiecto cingulo militari, Christianum se esse testatus, coram omni populo in deos & Cæsarem multa blasphemia locutus est. Tum Agricolaus, Quo furore, inquit, tu sacramenta proijcere, & talia loqui ausus es? Respondit Marcellus: Furor nullus est in eis, qui timent Dominum. Agricolaus dixit; Singula hæc locutus es, quæ actis præsidialibus continentur? Marcellus respondit: Locutus sum. Et Agricolaus; Proiecisti arma? Proieci, inquit, Marcellus: Non enim oportet Christianum hominem molestius militare secularibus, qui Christo militat. Tunc Agricolaus mortis eum reum esse dictavit: quod abiecto publicè sacramento, insuper apud acta præsidis, verba furoris plena deposuisset. His dictis: gloriosus athleta Christi, capite cæsus occubuit.

MARTYRIVM SS. ZENOBII ET ZENOBIE sororis eius: Ex eo quod est apud Metaphrasten. Passi sunt anno Christi 285. Cæsar Pap. 2. Dioclet. Imp. 2:

ÆGÆE ciuitas est in sinu Ionico sita, à Cilicibus culta; in qua Zenobius, eximia virtute ac pietate vir, ducta in matrimonium Tecla patru sui affine, Zenobium filium,

tes milites animaduertebant.

Ducitur vinum ad Agricolaum præfectum.

Hæc dicit secundum illud Apostoli 2. Timot. 2. Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.

Vide Baron. Annal. Tom. 2. 30. Octob.

Patris & parentes eorum.



*Virtutes  
Zenobij.*

*Zenobius fit  
episcopus  
Aegarum.*

*Vide quam  
mercedem  
postulet Ze-  
nobius pro  
curacionis  
beneficio.  
Matth 9.*

filiamque Zenobiam genuit: vtramque prolem præclaris à Deo animi corporisq̄ dotibus ornatam: multisque naturæ adiuventis ad arduū virtutis iter egregiè instructam. Defuncto autem vtroque parente, Zenobius iunior protinus ad benignè faciendi disciplinam se accinxit; facultates in pauperes distribuit, languidis & infirmis ministravit, & omnium calamitosorum curam insito animi ardore suscepit. Cū hæc charitatis pietatisque officia sedulus exerceret, & in tantis virtutibus diu vitam egisset, fuit ad Christi gregem pascendum Ciliciæ electus antistes, vt in posterum non modo corporibus, sed & animis mederetur: & illa quidem à morbis, has verò ab impietate liberaret. Hinc cū Indi cuiusdam præfecti coniunx in morbum incidisset immedicabilem, cancerem dico, qui interiorè thoracis partè depascebat, & supplex ad eum Aegas veniret, vir diuinus præfectū coniugemq̄ benignè excepit: optatā quidē salutē spondens, si debitā tamē curacionis mercedē persolvere velint. Offerūt illi immane auri & argēti pondus, promittuntq̄; maiora, si desiderata sanitate potiarur. Tūc Zenobius, Mercedē, inquit, hāc & nō aliam postulo, vt ocyus à patrio discedētes, errore, ad veritatis agnitionē transeatis: vosque Christo Iesu omnium Saluatori pura & integra fide sanandos committatis. Quod quidem prompto & alacri animo eis promittētibus, Zenobius, in nomine, inquit, Iesu Christi, qui sanauit mulierē profluuiō sanguinis laborantē, sana esto. mulier, statimq̄; morbus illi grauiissimus tanquam flagello fugatus cessit; & præfectus cum cōiuge & libe-



& liberis sacro latice expiati, summo cum gaudio domum rediēre.

His alijsque quamplurimis clarus virtutibus & miraculis Zenobius, Imperatorem diu latere non potuit; qui studia pietatis & Christi cultores flamma ferroque persequeretur. Erat is Diocletianus, qui Christi confessorem vinculum ad se perductum hoc modo cōpellauit: Multa quidem de te ad nostras sæpè aures delata sunt; sed hactenus soli famæ difficulter fidem præbens, cupio nūc oculos ipse meos eorum quæ audiui, testes habere. Et vt paucis absolua, hæc duo tibi propono hodie; vt vel edicto Imperatorum parens, maximos honores & opes vitæque splendorem assequaris: vel parere recusans, plagas, vincula, cruciatus & cætera tormenta subeas. Ad quæ Zenobius: Mihi, inquit, Christus IESVS cunctis tuis opibus & honoribus longè charior est: mortem verò & tormenta, quæ minaris, lucri loco reputanda arbitror.

Hoc Martyris accepto responso, Lysias præses eum in ligno sublimè sustulit, & diros cruciatus eius corpori infixit. Quæ cum fierent, fortè Zenobia soror eius alicundè accurrens, exclamauit: Quidnam, inquit, Tyranne sceleris admisit frater, quòd tanta crudelitate in eum defecit? Hæc dicentem, & Lysias blanditias minasque contemnentem ministri pariter arripunt, & vnà cum fratre in lectum ferreum igne candentem prosternunt. Cumque Tyrannus martyribus insultando clamaret, Veniat Christus, & opem vobis ferat, pro ipso patientibus: contra exclamans Zenobius: En, inquit, adest,

Aa 5 adest,

*Diocletianus vinculum eum peruertere conatur.*

*Egregiè respondet sanctus.*

*Cruciatur.*

*Zenobia cōprehēditur: & cum fratre torretur igni.*



*In lebetes  
bullientes  
soniekti ma-  
nent illi est.*

*Demum ca-  
pite plectun-  
tur.*

adest, & rore cælesti flammam mitigat, licet tu-  
tanta impietatis circumdatus caligine, hoc vi-  
dere non possis. Tum Lysias rabie quadam &  
furore acrior factus, in lebetes vehementer ac-  
censos dimitti eos præcepit; sed bulliente li-  
quore nihil eis detrimeti afferente, capitis in  
eos sententiam dictavit; quam extra muros ci-  
uitatis AEGÆORUM pari alacritate subiêrunt: quo-  
rum corpora Hermogenes & Caius presbyteri  
in vicina spelunca condiderunt.

VITA ET MARTYRIUM S. EPIMACHI: Ex ea quæ est apud Metaphrasten. Fortassis passus est anno Christi 235. sub Decio Imperatore: quo tempore potissimum viguit persecutio in AEGYPTIOS & ALEXANDRINOS CHRISTIANOS, iuxta Baron. Tom. 2. Annal.

31. Octob.

*Patria eum.*

*Epimachus  
in monte Pe-  
luso habi-  
tat.*

**A**EGYPTVS cum plurimorum hominum al-  
trix, ex eorum numero, qui admiranda  
sanctitate in hac vita claruerunt; tum  
Epimachi quoque eximia virtute viri educa-  
trix fuit. Sola enim illa regio & ætatis & vir-  
tutis ipsius progressum & incrementa perspe-  
xit. Vt enim olim eremus Ioannem Baptistam,  
& carmelus Eliam habuit, ita hunc mons Pe-  
lusus incolam suscepit, & cælestis vitæ dulce-  
dine incredibili refecit. Exercebat se ibi iugi-  
ter in philosophia diuina, facileq; aspera que-  
que & laboriosa non modò Christi amore su-  
perabat, sed præ suauitate rerum cælestium,  
summas etiam delicias reputabat.

Interea Iudex quidam sæuitia & ferocitate  
terribilis Alexandriam venit; tota mente &  
indu-